Regiæ Christi purpuræ assimilibus, & eximiè splendentibus exornari dicitur; quia ab ipsa mutuantur martyrii ruborem, & gloriam: cum pro capitis ornamento habeat Christum crucifixum, qui se ipsum vermem appellat è cruce clamans Psal. 21. *Ego sum vermis, & non homo.* vermiculum planè, seù coccum (ut notat Pagninus) ex quo purpureus color: nec non immaculatum, & cæsum, & occisum; cujus vulnera quinque, totidem sunt purpurariorum canales, ex quibus ubertim erumpit nostræ purpurariæ Virgini purpura nobilissima, qua Martyres suos penitus imbuit, dibapho quidem; proprio scilicet ipsorum cruore, & agni sui sanguine.

Ps. 21.

Pagn.

1756 Si verò, ut communior fert existimatio, *Carmel* accipiatur pro monte Carmelo, qui est mons Phœniciæ excellus, amœnitate vinearum, florum, & fructuum omnium copia nobilissimus. Huic simile dicitur caput Deiparæ, quia in eo resplendent, florent, & vernant, non una corona, sed infinitæ propemodum è floribus, præsertim purpureis, herbis, & ramis constructæ: quibus & ipsa coronetur, atque exornetur, non secus ac montis Carmeli caput, & purpuream comam, id est Martyres suos coronet, & exornet: *En cabeza de Maria puso Dios las coronas de los Martyres.* Ea propter solet à Patribus, *corona Martyrum* vocitari. Adde, exornatas quoque Martyrum manus, triumphantium more, palmarum ramis semper virentibus, acceptis planè à Deipara cruci adstante: cujus propterea *statura assimilata est palmæ.* Quò spectat Guillelmi interpretatio: *Si quidem per palmam, qua manus victoris antiquo ritu ornatur, insigne illud, & victoriosum crucis lignum signatur, cui nimirum Evangelista staturam piæ matris assimilatam insinuans, stabat, inquit, juxta crucem Jesu, mater ejus.* Certè dum martyrium subit ad crucem Deipara commartyr Christi, nihil aliud præ se ferre videtur, nisi victorias, & triumphos; ramosque palmarum, quibus Martyres suos, victores suos exornet. Unde vox Ecclesiæ est in suis Martyribus pugnantis: *Dixi: ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Hebraicè est, *ramos ejus, cacumina ejus.* Cum enim versu præcedente Virgo Mater comparata fuerit palmæ; in Martyrum Ecclesiam illud quadrat omninò, ut ardenter exoptet ascendere in hanc speciosam palmam, ut non solum coronis, sed palmis etiam martyrii perfruatur.

Et coronæ & palmæ Martyrum & Virgine.

Can. 7. 7.

Guillel.

1757 Lege quæ lib. 5. cap. 1. scripsimus de eximio Ecclesiæ christianæ ornatu ex omnigenis martyrii instrumentis, & triumphis. Illa enim omnia speciali jure Virginem Matrem, & Martyrem spectant: quæ est omnium Regina dextrum tenens sponsi locum, *in vestitu deaurato*: vel juxta Psalterii Arabici translationem, *in vestitu purpuræ deaurata.* De chlamyde sermo est, peplo, seù toga picta, purpurea, scutulata, & palmata, quæ dari solebat triumphatoribus; & in qua diversimodè acupictæ triumphi imagines, & symbola pulcherrima Quæ omnia amænè probant Virgini Matri, & Martyri deferendos omnes omnium Martyrum triumphos, qui in eximium ipsius Deiparæ ornatum redundant.

Martyrum triumphis Deipara exornatur.

Ps. 44. Arabi.

TERTIUM.

Ex Matre Martyre Deipara, & fidei Martyribus magnificus assurgit Christi JESU thronus.

1758 Elaborare, qua solertia, & ingenio potuerim, Christi Jesu in Ecclesia regnantis thronum, est animus. Thronum efformo magnificum eburneo Salomonis throno lucem affundentem, & illo typicè præsignatum. Habes itaque 3. Reg. 10. 18. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: & duo leones stabant juxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc, atque inde: non est factum tale opus in universis regnis.* Hoc throno, quasi intento digito, demonstratam Deiparam putant Ecclesiæ Patres non pauci: inter quos Sanctus Petrus Dami. ser. de nativ. Virg. Sanct. Bonav. in speculo cap. 2. Guarricus Abbas serm. 1. de Annunciatione, Glossa Ordinaria in explicatione morali. Sed enim distinguere oportet sellam ipsam regiam & ejus ornatum à sex illis gradibus, & duodecim leunculis, per quos ad illam erat ascendendum. Sellam gessisse Deiparæ emblema Martyrii purpura decoratæ reor planè: gradus verò cum duodecim leunculis fuisse Martyrum omnium peropportunum symbolum, negabit nullus, qui rem attentè inspexerit. Eam igitur discutiamus.

3. Reg. 10. 18.

1759 Inprimis sella ipsa Salomonis Regia Virginem Matrem, Martyremque portendebat. In cujus rei fulcimentum expendo primò sellæ illius materiam, secundò ornatum. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis.* Ex ebore constabat, & ex auro purpurascente: materia quidem eximiæ venustatis, & pretii: erat enim sella non tota aurea, nec tota eburnea, sed ex ebore, & auro mira varietate, & pulchritudine inter se admixtis. Etenim negari non potest, sellam illam concinnatam non ex quovis ebore, sed ebore nobilissimo, & quod in pretio olim habebatur maximè; quale illud, in quo intermixta erat nativo candore purpura; quod tanti apud veteres extitit, ut non aliis quàm Regibus in usu dicatur fuisse ab Homero Illiad. 4. Legesis plura hac de re testimonia apud nostrum eruditissimum Cerdam in lib. 12. Æneidos ad illud.

Ex eburnea sella Salomonica materia martyrium Deiparæ illustratur.

Home.

P. Cerda.

Indum sanguineo veluti violaverit ostro Virg.

Si quis ebur.

Philostratum adde lib. 2. Icon. *Et sanguinis ut in ebore color floret.* Maxi. tyr. dissertat. 24. *Eboris à fœmina barbara purpura rubefacti.* Et claret etiam hæc inficiendi ebur consuetudo ex Threnis cap. 4. v. 7. ubi de Nazaræis, *Rubicundiores ebore antiquo.* Consule nostros Castrum, Cornelium, Sanctium, Del Rio, & Roam lib. 4. singul. cap. 7. qui rem splendidè, & eruditè tractant; ne te multis onerem.

Philost. Maxi. Tyr.

Thre. 4. 7.

1760 Vidisti cum nativo eboris candore admixtam purpuræ infecturam? Figuratam vidisti Mariam Matrem, & Martyrem, enitentem

Eboris candor candorem Deiparæ designat, purpura martyrium. Guarri.

tentem tum eximio duritatis candore, vel à suæ conceptionis puncto, tum nobilissima martyrii purpura. Preme Guarrici Abbatis: *Quàm nitidum ebur illud, quod oculis tanti, tamque divitis Regis placuit! Quàm frigidum quod nec in conceptu incaluit! Quàm solidum, quod nec partus violavit! Quàm candidum, quod candor lucis æternæ universa sui plenitudine replevit:* Reliquum erat, ut post nativum candorem, accederet martyrii purpura, ut rubicundior assurgeret Deipara ebore antiquo, & non Mater solum, sed Martyr Virgo. Ita factum omninò dum Virgo Mater stat juxta crucem transformata in patientem Christum, & filii sanguine infecta. *Cui scilicet* (subdit Guarricus) *incomparabilem castitas candorem, & martyrium rutilantem præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem: nam & suam ipsius animam pertransivit gladius, ut Mater summa Virginis, & Martyris esset, & Virgo ipsa, & Martyr candida, & rubicunda, quemadmodum dilectus ejus candidus, & rubicundus.* Quid pro argumento nostro opportunius?

Guarri.

Can. 7. 4.

1761 Præclarum hìc apparet illud Mariæ elogium Cant. 7. 4. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Quod dicì cum intuitu ad turrim quandam eburneam à Rege Salomone constructam volunt Rabbini Salomon, & Josephus cæcus. Putaverim Deiparæ *collum* turri eburneæ assimilari non solùm ob illius mundiciem, sed præsertim ob admirandam fortitudinem, infatigabilem constantiam, patientiam, & perseverantiam in excipiendis animo cruciamentis dominicæ passionis tempore. Apparent enim hæc in collo recto, firmo, constanti, forte; quale eburnea turri designatur aptissimè: nam ebur os est, seù dens elephantis castissimi, & fortissimi, in quo candor purpureus, fortitudo, & soliditas. Contemplantur nonnulli collum hoc non tantùm rectum, erectum, & firmum; sed *nudum* quoque: *quod tyrannum cujuslibet gladius videtur expetere* (verba sunt nostri Alcasaris ibi) *nihil quod evenire queat, formidare, sed gladio hilariter ostentare jugulum.* Hinc Sanctus Ildephonsus ser. 2. de assump. premens illud; *Stabat mater juxta crucem,* ita opportunè: *Parata stetit ad quamlibet pœnam suscipiendam, si percussoris manus accessisse.* Similiter S. Augustin. in lib. de institut. Virg. cap. 7. Bellè igitur idcircò collum habere dicitur Maria ad instar turris eburneæ nudum, apertum, ac proindè non candore tantummodò conspicuum, sed martyrii purpura tinctum.

Eburnea turris collum Deiparæ assimilatur ob illius fortitudinem in martyrio.

P. Alcas.

S. Ildeph.

S. Aug.

1762 De auro autem *fulvo nivis*, quæ est pars altera materiæ pro sellæ Regiæ structura, dixi non semel. *De auro purissimo fit* (inquit Petrus Cellensis lib. 1. mysticæ expositionis tabernaculi, in re persimili) *quod igne claresci, malleo proficit, passione dulcescit.* Hoc aurum fulvum nimis Hebraicè dicitur *paz*, sive *muphaz*, quod Hebræi transferunt *aurum obrizum.* Est autem obrizum, aurum syncerum, delicatumque quod sæpe igne candefactum, & exustum est. Plinius lib. 33. cap. 3. *Aurique experimento ignis est, ut simili colore rubeat, quo ignis, atque ipsum obrizum vocant.* LXX. Interpretes; *circumauravit illum auro probato*: ignito nempè, fulvo, purpureo: *purpureum* enim dicitur de igne, sicut *igneum* dicitur de purpura. *Auro ferventissimæ charitatis*, explicat Glossa in exposit. morali. Unde S. Bonavent. ser. 3. de Virg. to. 4. operum: *Nulla creatura ita per amorem nostrum exardescet, quæ amantissimum filium suum, & unicum, quem mulier plus se ipsa diligebat, nobis dedit, & pro nobis obtulit.* De quo infra.

Ex aurea sella materia Marianum probatur martyrium.

Pet. Cell.

Plini.

LXX.

Glossa. S. Bonav.

1763 Secundò ad sellæ formam, & ornatum spectant *duæ manus hinc, atque inde tenentes sedile.* Manus ex nostri Sancti mente significant quod aliquid apprehendit, & tenet, cujuscunque illud figuræ sit: putaque hasce manus solio subesse, illudque sustentare Tostatus quæst. 7. in 3. Reg. 10. existimat esse *duo brachia eburnea deaurata surgentia ex aliquo loco apud thronum, & videantur tenere thronum, sicut fieri consuevit quando depinguntur insignia aliquorum, quæ vulgo vocantur arma: nam pinguntur duo Angeli altrinsecus manibus sustentantes illa.* Satius tamen videtur esse, si duæ illæ manus sint *brachia* sellæ Regiæ, quia sedentis manus, & brachia sustentabant. Unde Tigurina: *Utrinque ad locum sedis reclinatoria erant.* Et 2. Paralip. 9. 18. *Et brachiola duo altrinsecus.* Deinde addit sacer textus: *Et duos leones stantes juxta brachiola.* 2. Para. 9. 18. LXX. statuunt in solio illo prominentias quasdam figuras vitulorum habentes: *Prominentiæ vitulorum ipsi throno.* Quæ omnia sunt mysteriis plena pro Deiparæ martyrio.

Brachia sellæ Regiæ, & duo ibi leones, seu vituli quo spectent.

Tostatus.

Tigurina

2. Para. 9. 18.

3 Reg. 10 19.

2 Para. 9. 18

LXX.

1764 Etenim diximus non semel, leonibus, & vitulis Martyres designari, eorumque fortitudinem, martyriique sacrificium. Christus tunc maximè quando in Cruce accubuit, appellatur *leo*, Genes. 49. 9. *Requiescens accubuisti ut leo.* Unde etiam B. Virgo ad Crucem patiens *leæna* dicitur à S. Epipha. contra hæres. 3. *Leæna gloriosa.* Et quemadmodum Christus ad Crucis martyrium ductus dicitur *bos* Jerem. 11. 19. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*; Hebraicè, *ego tanquam bos*; ita similiter Deipara ob eamdem rationem vocitatur *vitula*, seù *juvenca* à S. Epipha. ser. de ejus laudibus: *Juvenca nunquam jugum experta:* simul enim cum filio ad crucis victimam deducta est. Nam vitulus cum matre, ex usu veteri, dedicebatur ad sacrificium. Theocritus Aed. 10. *Vitulus cum matre sua.* Et Virg. 9. Aenei. v. 527.

Gen. 49 9. *Virgo leæna gloriosa.* S. Epiph.

Jere. 11. 19. *Virgo vitula, seù juvenca* S. Epphi.

Theocri. Virg.

ante aras aurata fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem.

Adde ex Glossa memoratà: *Per duos leones significatur duplex Virginis fortitudo, scilicet in aggrediendis arduis, & in tolerandis adversis.* Quæ duplex fortitudo resplendet potissimùm in passione Deiparæ, cujus propria est fortitudo Prover. *Mea est fortitudo.*

Glossa. *Per duos leones duplex Virginis fortitudo designatur.*

Prov. 8. 14.

1765 Sed venio ad duas illas manus hinc, atque inde tenentes sedile; sive ad brachiola illa supra locum cathedræ elaborata. Quid, quæso, opportunius ad designandam Christi gratiam, cælestèque auxilium, quo erecta, animata, roborataque fuit Virgo Mater, ne cruciatuum, & doloris acerbitate, ac magnitudine prorsus interiret: quin potiùs staret juxta crucem firmiter erecta, parata omninò adversa quæque ferro pro Christo? Hoc illud esse putaverim, quod Cant. 2. 6. dicitur sub Deiparæ nomine: *Læva ejus sub capite*

Per duas sellæ manus, sive brachia designatur cæleste auxilium quo roborata Virgo fuit in suo martyrio.

S. Bern. *capite meo; & dextera illius amplexabitur me.* S. Bernar. ſer. 51. per Dei *lævam* adverſa, per *dexteram* proſpera indicari exiſtimat.

Guillel. Guillelmus apud noſtrum Del Rio *lævam* refert ad tempus dominicæ paſſionis, quo Beata Virgo tantopere in animo diſcruciata eſt: de gaudio autem reſurrectionis *dexteram* intelligit. Sed utraque manus referenda ad Dei gratiam, & auxilium Deiparam eo tempore corroborans, ut infracto pectore adverſa quæque ſubiret. Unde doctè Sanctus Anſelmus de excell. Virg. cap. 5. *Utique pia Domina non crediderim te potuiſſe ullo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere; niſi ipſe ſpiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſſimi filii tui, te confortaret, te conſolaretur.* Ecce manus hinc inde tenentes ſedile, ſeù Dei ſolium, Mariam nempe.

S. Anſel.

1766 Exodi 17. cum Moyſes utraque manu in crucis ſpeciem extenſa virgam teneret thaumaturgam, cruxifixi Jeſu typum gerens (ut multi Eccleſiæ Patres docent Tertul. lib. 3. contra Marcio. cap. 18. Cyrill. in collectan. cap. 15. Cyprian. lib. 2. teſtim. 21. Juſtinus contra Tryphonem, Proſper 1. p. prædictio. cap. ultimo) atque hoc habitu miraculoſam reportaſſet victoriam: *Aedificavit altare, & vocavit nomen ejus: Dominus exaltatio mea.* Hebraicè; *Dominus auxilium meum*: vel etiam, *Dominus eſt ſignum*, aut miraculum meum. Et quia hæc victoria eſt Moyſi data ab illis ipſis manibus, quæ ſolium Domini, id eſt Mariam cruciformem, & cum crucifixo filio patientem, roborabant; ſubdit è veſtigio: *Quia manus ſolii Domini, & bellum Domini erit contra Amalec in generationem, & generationem.* Hebraice eſt: *quia manus ſuper ſolium Domini eſt.* LXX. vertunt; *quia manu occulta*, vel potius *excelſa præliatur Dominus.* Profecto cum Deipara ſit, appelleturque frequenter à Patribus *Dei ſolium*: credendum eſt, appellari à Moyſe *manum ſuper ſolium Domini*, Chriſti crucifixi manum, ſive auxilium, quo Matrem, & Martyrem ſuam firmavit, & evexit, ut juxta crucem acerbiſſimos cruciatus generosè perferret cruci affixa per compaſſionem tanquam conredemptrix humani generis. Sic enim ab hoc Dei ſolio pugnavit Chriſtus *manu occulta, & excelſa*; manibus ipſe ſuis cruci ſuffixis (in quibus *abſcondita eſt fortitudo ejus*, Abacuc 3. 4.) Matrem obfirmans, & corroborans.

Exo. 17.

Victoria Moyſi data à Dei manibus occultè in eo pugnantibus.

LXX.

Eadè manus Dei param patientem firmabant.

Aba. 3. 4.

1767 Si verò duæ illæ manus eò ſpectent, ut ſedentis manus, & brachia ſuſtentent, atque confirment; bellè hæc etiam in Deiparam cadunt; de quo bono quodam ſenſu poteſt affirmari firmaſſe, & confirmaſſe patientem ſuum filium ad tormenta, & mortem ſubeundam. Primò eum confirmavit voluntatem ipſa ſuam divinæ voluntati conformem exhibens: & quemadmodum agnita à Chriſto æterni Patris voluntas illum confirmavit in horto trepidantem; *Verum tamen non mea, ſed tua voluntas fiat*: ſic etiam non longè abſimili ratione, Matris chariſſimæ voluntas cum voluntate Patris adeò concors eum confirmavit: Deinde negandum non eſt, fortaſſe aliquando adhortatione Matris confortatum filium, non quia ipſe adhortatione illa indigeret ad perferendos cruciatus, & necem; ſed quia tanti eam filius habuerit, ut novo quodam titulo ſubinde fuerit roboratus: uti etiam Virginis præſentia ad crucem conſtantiſſimè ſtantis, & generosè compatientis. Manus ergo, & brachia Matris fortiùs quidem filium ſuſtentabant, quàm crucis brachia: imò *ipſa ſibi per affectum quodammodo erat crux*, ut loquitur Guillelmus ad cap. 7. Canticorum. Quò veniunt illa Geneſ. verba cap. 2. 18. quæ Virgini, & Chriſto adaptant Bonaventura, Rupertus, & alii: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Pro *adjutorium* eſt Hebraicè *auxilium* in tribulationibus. Chaldæus vertit: *Faciamus ei ſuſtentaculum, quod ſit penes eum*; ut ſit ad manum, ut in omnibus juvet, & ſublevet; ut ſit ad curarum, dolorum, & laborum levamen. Pro *ſimile ſibi* legitur ex Hebræo; *coram ipſo*, vel *juxta ipſum.* Lxx. efferunt: *quod ſit ſecundum ipſum.* Quod abundè præſtitit Virgo Mater dum Martyr Martyri filio adſtitit juxta crucem patiens. Rectè igitur ipſa de ſe ait Prov. 8. 14. *Meum eſt conſilium, & æquitas.* Hebraicè; *ſubſiſtentia*, aut *conſtantia*: ad me ſpectat, non ſolum homines, ſed vel ipſum Deum patientem ſuſtentare, & confortare.

Deipara confirmata à filio filium ſuum ipſa confirmavit ad crucis martyrium.

Geneſ. 2. 18.

Chaldæ.

Lxx.

Prov. 8. 14.

1768 Deinde Regii throni *ſex gradus, & duodecim Leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde*, mihi præſignant fortiſſimos Eccleſiæ Martyres, per quos ad Chriſti ſolium magnificum, id eſt Mariam Matrem, & Martyrem datur aſcenſus; & ex quibus Jeſu regnantis thronus aſſurgit. Graduum, & leunculorum materies eburnea, & aurea id ſuadet inprimis, juxta ſupra dicta de ebore commendatiſſimo purpura infecto; & auro obrizo fulvo nimis, ſeù probatiſſimo. *Purpurei* ſunt gradus; & *aſcenſus* hic eſt *purpureus*, de quo Cantic. 3. 9. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon*: id eſt ſolium, vel ſtellam Regiam, ut nonnulli explicant, & ad quam fieri alluſionem Rabanus putat in hoc eburneo Salomonis throno: *Fecit Rex Salomon: Thronus* (ait Rabanus) *vel ſolium eſt imperialis ſedes, quæ in Canticis cap. 3. ferculum appellatur, eo quod reſidentes ferat.* Hoc ferculum, ſeù thronus, habuiſſe dicitur, *aſcenſum purpureum*, quia purpureis gradibus ex rubeſcente materia conſtabat, tinctis quidem dibapho conchiliato puriſſimo: primùm ſanguine Jeſu in alta cruce fuſo; deinde iterum roſante Martyrum oſtro, qui vulgarem tranſgreſſi dilectionem, ad hunc heroicum charitatis gradum aſcenderunt: uti explicant Philo Carpa. Del Rio, & recentiores alii. Lege me lib. 3. par. 2. cap. 20. Et obſerva ad rem noſtram quod Hiſtoria ſcholaſtica tradit lib. 3. Reg. cap. 23. ſex nempe gradus illius Regii ſolii elaboratos ex *Porphyrite* lapide; de quo Plinius lib. 36. cap. 7. *Rubet Porphyretes in eadem Ægypto.* Certè hi rubentes gradus, ſeù purpureus aſcenſus, & Virginem Matrem commendant, quæ ſella Regia eſt: & reliquos Eccleſiæ Martyrès, qui leunculi ſunt ſtantes ſuper ſex illos gradus. Unde Guillelmus ita *aſcenſum purpureum* interpretatur ſatis benè: *Et quoniam eidem glorioſæ Virgini, & Matri, de munere ejus, qui natus eſt ex ea, ad culmen perfectionis, non defuit ſublime martyrii meritum; ſequitur in ferculo; aſcenſus purpureus. Mihi vi-*

Per ſex Throni gradus, & duodecim leunculos Martyres deſignantur Matri Virgini, & Martyri adſociati.

Can. 3. 9.

Raban.

Phi. Car. P. Del Rio Hiſtor. ſcho.

Plin.

Guillel.

Philip. 1. 21. *hi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum, ait Paulus. Ergo ò Paule, tibi vivere præclarè, aſcendere eſt. Sed non omnium aſcendentium aſcenſus purpureus eſt, quia Martyrum hæc prærogativa eſt.*

1769 Jam verò *duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus* cur non opportuniſſimum erunt Martyrum fortiſſimorum ſymbolum? Prover. 30. 30. *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum.* Martyres certè admiranda fortitudine ſua (in qua martyrii eſſentia ponitur) Leones extitere generoſi, nullis adverſariorum incurſibus conſternati: *ſon los leones dela Igleſia.* De quibus jure merito prædices ad 1. Parali. 12. 8. *Sed & Gaddi tranſfugerunt ad David, cum lateret in deſerto, viri robuſtiſſimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum, & haſtam: facies eorum quaſi facies leonis.* Quæ verba Gloſſa Lyrani aptiſſimè ſic illuſtrat: *Per iſtos ſignificantur illi, qui ſunt in exercitu Chriſti armati clypeo patientiæ ad ſuſtinendum tribulationes: & haſta conſtantiæ ad arguendum tyrannos potentes. Ideo ſubditur; facies eorum quaſi facies leonis. Prover. 28. juſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit.* Attexit ſacer textus: *Iſti ſunt, qui tranſierunt Jordanem menſe primo, quando inundare conſuevit.* Ubi eadem Gloſſa ita exponit: *Per inundantiam Jordanis ſignificatur incrementum tribulationis. Per iſtos autem, qui tranſierunt Jordanem tempore inundationis, figurati fuerunt Martyres in maximis tribulationibus patientes.*

Pro. 30. 30. *Leones aptiſſimum Martyrum fortiſſimorũ ſymbolum.*

1. Para. 12. 8.

Gloſſa. Lyran.

1770 Denique obſerva cum noſtro Sanctio, in eo throno leones à Salomone expreſſos quaſi vigiles, & cuſtodes, qui Regis tuerentur auctoritatem, atque omne ab illo periculum arcerent. Apparebat enim ibi Regia majeſtas, ac populis ſui nominis terrorem oſtendebat. Profectò Martyres Eccleſiæ, *leones* vocitandi, vigiles, & cuſtodes, qui pacifici Salomonis Jeſu, ac Deiparæ Matris tuentur auctoritatem uſque ad ſanguinis, & vitæ effuſionem. Proinde putaverim, cum intuitu ad hunc Salomonis thronum, & ſtipatores leunculos, dictum Cantic. 3. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael; omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi; uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos.* Ubi *lectulus* eſt nonnullis *thronus*, *ſolium*, *ſella Regia*: in qua reclinabatur uti in lectulo. Sexaginta autem fortes ſignificant ſtrenuiſſimorum Martyrum copioſam vim nihil in muneris ſui functione vigilantiæ, laboris, conſtantiæ prætermittentium. Lege dicta ſuperius ad hunc locum lib. 3. par. 3. cap. 5. His igitur præfatis, nobiliſſimum Deiparæ Martyrium expendamus, illud in varios diſcurſus diſſecantes, concionibus ſacris peropportunos.

P. Sancti. *Martyres leones vigiles pro Chriſti ac Deiparæ cuſtodia.*

Can. 3. 7.

CAP. I.

Expendit univerſim martyrii Deiparæ acerbitatem, dolores in ultima Chriſti cœna, atque diſceſſu.

Anteloquium.

1771 DUm ſol dominicæ mortis tempore ſuos præternaturam contraxit radios, & mundum deſiit illuminare, obtenebrata non Judæa ſolùm, ſed terrarum orbe univerſo; *Signum magnum apparuit in cælo; mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus corona ſtellarum duodecim.* Mulier hæc Chriſti patientis eſt Mater, & Martyr unà cum Chriſto patiens. Chriſti eſſe parentem, fatentur omnes. Præſignari verò hic ut Chriſti Martyrem, vel potius commartyrem, ſuadet in primis vox *ſignum*, id eſt, *vexillum* Sacræ Scripturæ Iſai. 5. 26. Pſal. 73. 4. Ita Dominica crux appellatur, & qui è Cruce pendet Chriſtus: imò & Maria ad Crucem ſtans, & cruci affixa per compaſſionem. *Dico illam eſſe crucem*, dicebat de Virgine Sanctus Epiphanius ſer. de illius laudibus: ubi eandem *cruciformem* appellat. Si verò vox *ſignum* pro *ſcopo* accipiatur, in quem cruciatuum, & dolorum ſagittæ collimarunt, juxta illud Threno. 3. 12. *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me* quaſi *ſignum ad ſagittam*; de Chriſto, & Virgine martyrium ſubeuntibus illud capias Simeonis effatum: *Hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum, & in ſignum, cui contradicetur.* Ad quæ verba Timotheus Presb. Hieroſo. in orat. de Simeone apud Surium 3. die Februarii: *Quòd verò Virgo ſit ſignum, cui contradicitur, Iſaiam: ecce dabit vobis Dominus ipſe ſignum. Quodnam hoc? ecce Virgo.* Suadet deinde ipſe contextus, nam de Virgine Matre dicitur v. 2. *Et in utero habens clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pareret; & peperit filium maſculum.* Aſt quinam iſtiuſmodi partus cruciamentis plenus? Nonne Virgo abſque ullis doloribus Chriſtum peperit? Abſque dolore peperit in ſtabulo Bethleemtico: cæterùm ſecundus ad Crucem partus, ſeù reparturitio (ut ità dicam) non in carne, ſed in animo, fuit plenus maximis cruciatibus, & angoribus; uti loquitur S. Damaſcenus lib. 4. ortho. fidei cap. 15. *Sed ipſa beata, & ſuper naturam, donorum digna effecta dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore paſſionis ſuſtinuit, ex materna compaſſione viſcerum, lacerum reparturiens.* Subſequitur eo Apoc. capite concitata à Dracone magno, & rufo, ſive ſanguineo, contra Chriſtum, hujuſque matrem in ſuis Martyribus horrenda perſecutio. Item ipſius Deiparæ fuga in Gentilitatis deſertum; ubi tot incommoda, & neces perpeſſa quodammodo eſt una cum filio in ſuis utique fidelibus.

Apoc. 12. 1.

Apocalyptica Heroina Virginem deſignat Matrem, & Martyrem.

Cur ſignum appelletur.

S. Epiph.

Thren. 3. 12.

Luc. 2. 34.

Timoth.

Apo. 12. 2.

Virgo in ſuo martyrio cruciabatur, ut pareret.

S. Damaſ.

1772 Jam ergo Virgo Mater, & Martyr, dum filio adſtat patienti, & morienti, apparet ſolis claritate amicta, lunæ innitens, & ſtellis redimita. Quid rogo, myſterii in hoc luminarium concurſu. A lege illuminandi terram deficiunt, & in unius Deiparæ illuminationem advolant? Sanè ut oſtendatur, Deiparam à tempore quo unà cum filio martyrium ſubiit, lucidiorem ſole eſſe, luna, & ſtellis ad terras illuminandas ſuo favore, ſuo conſilio, ſuiſque precationibus. Totius luminis abyſſus eſt Chriſtus cruci ſuffixus Habac. 3. 4. *Splendor ejus ut lux erit* (ut lux ſolis, lunæ, & ſtellarum) *cornua in manibus*

Cæleſtium luminarium concurſus ad martyrem Deiparam, ut illuminet omnes.

Hab. 3. 4.

Juxta S. Bonaven. lectionem. *Sic Maria dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Joan. 3.